

QK 140<sup>a</sup>, 10

(X 2000 265)





Q. 140<sup>a</sup>

II, 887.

2

Q. D. B. V.

EXERCITATIO HISTORICO - THEOLOGICA,  
De  
**VITA ET DOCTRINA**  
**HAYMONIS,**  
**EPISCOPI HALBERSTADENSIS.**

*Quam*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
ELECTORATUS AC PROVINCIARUM BRANDEN-  
BURGICARUM HEREDE &c. &c.

*In Academia Fridericiana Electorali  
Brandenburgica*

PRÆSIDE

**PAULO ANTONIO,**  
S.S. THEOL. D. P. P. h. t. DEC. CONSIST. DUCAT.  
MAGDEB. CONSILIARIO,  
*Præceptore suo ætatem colendo,*  
D. XVIII. Decembr. M. D C. C.

H. L. Q. C.

publicæ disquisitioni submittet  
A. & R.

**WILHELMUS ERASMUS Arnds /**  
Langensteinio-Halberstadensis, SS. Th. Stud.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Literis Chr. Henckelii, Acad. Typogr.

REVERENDISSIMIS, PER-ILLUSTRIBUS,  
AC GENEROSISSIMIS  
DOMINIS,

DN. DECANO,  
DN. SENIORI,  
DN. SUBSENIORI,

Ceterisque

DNN. CANONICIS  
CATHEDRALIS ECCLESIAE  
HALBERSTADENSIS,

*Dominis suis Gratosissimis, Evergetis ac  
Patronis submisse colendis omnique  
veneratione prosequendis,*

EXERCITATIONEM HANC HISTORICO-THEO-  
LOGICAM,

De

HAYMONE

EPISCOPO olim HALBERSTADENSI

Sub felix novi anni auspiciam, cum voto  
omnigenae prosperitatis

in perpetuum grati animi monumentum

dedicat

& offert

*obstrictissimus servus*

A. & R.

WILHELMUS ERASMUS Arnds.



Pullo  
Po  
ou



Q. D. B. V.



Sicuti quivis facile rerum omnium vicissitudinem, ita cum primis in Ecclesiæ Dei fatis miram per omnia secula fuisse varietatem deprehendet, qui mediocrem saltem in perscrutandis scriptoribus Ecclesiasticis adhibuerit attentionem; ne dicam de illis, qui luce divina & discretionis Spiritu horum monumenta rimantur, & sapientissimam Dei *μακροθύμια* œconomiam adhuc penitus indagant. Atque hi demum illi Rerum Ecclesiasticarum scrutatores sunt, quos ipse Deus, temporum dispensator, salutariter iisdem instruit. Quemadmodum David suo exemplo nos condocet Ps. 119. v. 52. Cujus studium Historicum in honorem æterni Numinis institendum, tum ex plurimis hymnis, tum maxime ex Ps. 78. patet. Merito autem hujus vestigiis insistant omnes, qui ad studium Historico-Ecclesiasticum animum applicare, eodemque recte uti desiderant; id quod & ipse mihi, antequam ad propositum meum me accingerem, in memoriam revocare volui; ne vel gloriæ Dei quicquam detrahere, vel laudibus hominum nimium tribuere auderem. Animus enim mihi est specialissimam aliquam Historiam, ut facultas tulerit, hinc enarrare, patriæque meæ in memoriam revocare, qualem & quantam lucem obscurissimis etiam temporibus in *Haymone* suo olim conspexerit; quo singularem hanc Dei Providentiam pariter ac benignitatem singulari quoque gratiarum actione

A 2

ad-

admiretur, inque hujus gratia cum piis omnibus omni ætate  
confidat.

Ratio proponendi hæc erit: Primo nonnulla de ipsius  
*vita*, qua fide potui, liberrima scriptione huc congerere;  
deinde ipsius *testimonium Veritatis Evangelicæ* ex ejus Scriptis in  
has pagellas ipsissimis verbis transponere allubuit. Quam  
quidem utramque materiam non pro dignitate hîc pertra-  
ctatam, sed pro tenuibus viribus meis delineatam saltem esse,  
ingenue fateor. Non enim quicquid debebat, sed quicquid  
dici a me poterat hîc, benevole Lector, invenies. Benignis-  
simus autem Deus hisce ausis meis clementer adfit, & ipsi labo-  
ri ita benedicat, ut gloria nominis ipsius hinc crescat, & omni-  
um nostrum salutaris ædificatio promoveatur.

PARS PRIOR

De

VITA HAYMONIS.

**H**aymonis nomen n. 1. Seculum n. 2. natio n. 3. Anglo-Saxonem fuisse pro-  
batur n. 4. mediante Gente sua Haymo Teuto etiam est n. 5. de Germania ma-  
tre imperantium in Europa n. 6. Speciatim in Britannia n. 7. Unde nomen Anglia  
n. 8. Haymo, Anglicorum Patrum Comes, linquit terrâ patriam, venit Turonas, hinc Ful-  
dam, sit Monachus S. Benedicti ordinis, & condiscipulus Rabani n. 9. Alcuinus præ-  
ceptor Haymonis Fulde menses Germaniæ instituit n. 10. inter quos Haymo noster lau-  
dabilis eminet n. 11. Haymo præceptor Heirici Autisiodorensis n. 12. Haymo Monachus &  
Magister Hirsfeldie n. 13. non Abbas Hirsfeldensis, prout Tritheimius & Seclatores ejus  
existimant n. 14. Quod probat rationibus Brokberus n. 15. Vossius, Sagittarius, &  
Dupinius idem affirmant n. 16. Haymo Hirsfeldie colligit commentaria sua, usque  
dum ad Episcopalem dignitatem Halberstadensem evehitur n. 17. Episcopatus enim  
hic Selingstadio Halberstadium translatus erat n. 18. quotus Episcopus & quo anno  
Episcopatum nactus n. 19. Error Winnigstadii, qui Ludovicorum nomina confun-  
dit n. 20. Haymo sub Ludovico Rege Germaniæ floruit n. 21. Haymonis singularis  
cura animarum n. 22. Ludovicus donum mittit Haymoni n. 23. labores ejus in e-  
rudiendo Populo parum christiano n. 24. Lux Evangelii Hispanicis oris demta, fe-  
motis idolis, in Germania oritur n. 25. & in Haymone refulget variis dotibus, tum  
administrantibus tum sanctificantibus instructissimo n. 26. Doctrina cum pietate con-  
juncta ipsum reddidit Sapientem n. 27. Testes doctrinæ adducuntur n. 28. collegit  
publicam bibliothecam in templo cathedrali, anno 1179 exusto n. 29. Quod incendi-  
um

Pullo

Po  
sic

um uniuersale intulit lis inter Heinricum Leonem & Ulricum Halberstadensem n. 30. cui usui Haymo fundauerit cœnobium S. Wiperti n. 31. Quod Quedlinburgica Abbatie originem dedit, & Præmonstratenses accepit n. 32. Quando vastatum fuerit hoc cœnobium n. 33. Memorabilia de Haymone & Godoschalko n. 34. unde de Prædestinarianis n. 35. & de noba in partes scissuran. 36. Fructus hujus doctrina n. 37. Godoschalki Hypotheses de Prædestinatione n. 38. conuocatur Concilium n. 39. cui Haymo interest n. 40. Haymo Godoschalki Salutem querit n. 41. Sed frustra n. 42. Godoschalkus condemnatur n. 43. ubi ex professo actum sit de hoc concilio n. 44. Haymonis mors & sepultura n. 45. Hodiernus sepulture locus n. 46. Quo anno in bibis esse desierit n. 47. quo die incertum n. 48. quem Successorem habuerit n. 49. lites post mortem inter cœnobitas n. 50. laudes & scripta ejus hinc non potuerunt supprimi n. 51. qua laude Haymonem malet Winnigstadius n. 52. qua Neofanius n. 53. Quot commentaria in sacram scripturam ediderit n. 54. Quid de iis notandum n. 55. Recensio Variarum editionum instituitur n. 56. & quidem Psalterii, quidque Erasmus de eo iudicet n. 57. Prophetarum tum majorum minorumque simul tum Esaiæ scorsim n. 58. Actorum Apost. Epistolarum Canoniarum & Apocalypseos. n. 59. Expositio Epistolarum Paulinarum Haymoni vindicatur a Dupinio n. 60. ab Ottomaro Luscino, cujus iudicium de libro subjungitur n. 61. Prodiit illa sub Haymonis nomine Gebhillerii elogio commendata n. 62. sub Remigii Remensis nomine n. 63. cui expositio in Cantica adscribenda n. 64. editiones Homiliarum Haymonis n. 65. item Historia Ecclesiastica n. 66. recensentur alia scripta Haymonis n. 67. denique opusculum de Corpore & Sangvine Christi. n. 68. Haymonis doctrina in comparatione equalium purior habenda n. 69. transitio ad doctrinam ipsam n. 70. quo sine doctrina Haymonis hic proponatur n. 71. quod illa ex Homiliis & Expositione Epistolarum Paulinarum n. 72. cur ex illis libris n. 73. commendationem horum scriptorum nos mouisse n. 74. subjungitur conclusio. n. 75.

**H**AYMO igitur, qui in annalibus Francorum etiam Hemmo, in Crantzii metropoli Heimo, alibi Haimo, & Aimo dicitur, vixit Seculo IX. post N. Christum tanta quidem celebritate pietatis & doctrinæ, ut etiam per tot seculorum intervalla ad nostra usque tempora admiratio famæ ejus nunquam desierit. De Patria tanti viri litigant Eruditi: Tritheimius a) natione Teutonicum, Sigebertus Gemblacensis, b) Pitseus c) &, qui hos sequitur, celeberrimus Sagittarius d) ipsum Anglo-Saxonem appellant, quorum ultimorum sententiæ & nos favemus, monumentis id suadentibus inducti. Constat enim ipsum Albinum Flaccum sive Alcuinum famigeratissimum Anglum Præceptorem habuisse e) in Anglia; præterea eundem non quidem

dem fratrem, confangvineum tamen venerabilis Bedæ fuisse Pitseus autor est; ne dicam de tot libris nostri Haymonis, quorum M.S. Britannia in memoriam tanti filii suis bibliothecis recondit. Interim non plane abjiciendum est in hac re testimonium Trithemii. Licet enim non immediate nostris terris ortum suum debeat Haymo, mediante Gente sua certe debet. Germania siquidem verax illa terra est, quæ toti ferme Europæ imperantes pariter ac subditos diversis quidem temporibus, testante Historia, dedit; id quod seculo V & Britannia obtigit, quando Angli Saxonum ad Albim vicini, in auxilium a Britonibus vocati, hostibus sese conjunxerunt, eosque subegerunt, quorum auxilio profecti fuerant. Hinc provincia, quæ Romanis Britannia nomine veniebat hoc ipso ævo novam Angliæ adpellationem indepta est.

*α) in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis fol. 42. edit. Basiliensis ao. 1494. β) Lib. de Script. Eccl. p. 151. ejusdem edit. γ) de illustribus Angliæ Script. edit. Paris. 1619. p. 146. δ) in Historia Halberst. p. 14. ε) Lelandus apud Baleum Cent. X. c. 27. conf. Centuriatores Magd. Cent. IX. c. 10. p. 322. edit. Bas. 1624. ζ) Bedæ Hist. Anglicana lib. I. c. 5. η) ibid. Crantzii metropolin lib. I. c. 29. & ejusdem Chronicon Daniae lib. I. c. 2.*

9 Hujus rei memores venerandi Patres non pauci ex Anglia, cum audirent antiquam patriam Evangelio jam obedientem esse factam, protinus ad prædicandum advolarunt, & in iis etiam Haymo noster Pristinam majorum sedes occupat, Alcuinum studiorum suorum moderatorem primum Turonas θ) in Galliam secutus, inde Fuldensi in Germania ι) cœnobio (quod S. Bonifacius Doctor Anglus & Germanorum Apostolus vulgo nominatus extrui curaverat) Monachus S. Benedicti datus Rabanum Maurum κ) condiscipulum & contubernalem habuit.

10 Alcuinus enim, peragrata Gallia, cum tribus Monachis sociis in Austrasiam venit, inde Buchoniam petens, & aliquamdiu Fuldense monasterium incolens, λ) reconditos sacrae doctrinae gazas magno nominis sui & auditorum celebritate recludit, post se Magistros reliquit, in quibus familiam duxere Haymo, Rabanus, Hatto &c. *Inde enim, inquit Pitseus, tanquam ex Equo Tro-*

Pullo

Pa  
or



Trojano prodierunt in messem Germanicam Angli nostri, omni virtutis & eruditionis genere instructissimi. Inter quos idem Pitseus nostrum Haymonem singulari encomio ornat, quando ait:  $\mu$ ) Ibi Haymo discipline monastica, precibus, jejuniis, vigiliis, rerum divinarum contemplationi, lectionibus, concionibus & aliis sibi omnique populo utilibus exercitiis strenue incubuit, nunquam benefaciendo fatigatus. In his omnibus Bedam imitari summopere contendebat. Nec incassum sane. Nam quod volebat, in plerisque consecutus est. In concionibus gratiam habebat, pene singularem, in lectionibus publicis cum doctrina soliditate conjunctam elegantiam, in illustrandis & exponendis sacris scripturis miram perspicuitatem. Huic etiam periodo adscribendum est, quod Natalis Alexander de Haymone nostro observat  $\nu$ ) ipsum nimirum Heirici Autisfidiorensis Monachi Præceptorum in S. literis fuisse, idque constare ex metrica præfatione ejusdem Heirici in Excerpta sua, quæ ex dictis Præceptorum suorum Haymonis & Lupi compilaverit.

$\theta$ ) Caspari Sagittarii Hist. Halb. p. 15.  $\iota$ ) Pitseus l. c.  $\kappa$ ) Cent. Magd. l. c.  $\lambda$ ) Christophorus Broßerus Fuldensium Antiquit. Lib. 1. c. 13.  $\mu$ ) Pitseus de illustribus Anglie Script. p. 146.  $\nu$ ) in Selectis Hist. Eccl. Capitibus Sec. IX. & X. part. I. p. 214.

Præfuit autem Haymo prænobili Fuldensium Scholæ usque ad annum 839  $\xi$ ) à quo tempore ad Hersfeldensium viciniam evocatus, cui cænobio pariter haud incelebri Monachus atque Magister datus est: Ubi tantum virtute, pietate atque eruditione ceteros antecelluit, quantum ignes inter luna minores. Tritheimius in vita Haymonis Abbatem ipsum Hirsfeldensis Cænobii proclamat, atque hinc seducti sunt in eundem errorem Winnigstadius, Centuriatores Magd. Pitseus, Natalis Alexander & Gvilielmus Cave. Verum rectius sentit Christophorus Browerus,  $\omicron$ ) Haymonem minime Abbatem Hirsfeldensem fuisse, neque enim Lambertum Schaffnaburgensem hoc tempore ipsum recipere, neque Historiam publicam id probare, utpote quæ ab anno 840 usque ad 846 Brunonem sedisse testetur, qua tamen annorum intercapedine Haymo factus sit Episcopus. Quam in sententiam etiam Gerardus Joh. Vossius  $\pi$ ) abit &, qui utrumque sequitur

13  
*primo ad Corbeienso monasterium deinde -*  
*v. C. F. Paulini Synagoga. rer. germ. II. 264. C. Calyfor in*  
*Sua Synagoga. u. spizell. Wind. Luth.*  
*P. III. L. I. c. V. p. 272.*

14

15

16



tur, Casp. Sagittarius.  $\xi$ ) Non inquirimus jam in difficultates illas, quas Ludovicus Elias Dupin  $\sigma$ ) ex quodam Autore Bulteau haufit, quando alios Abbates Hersfeldenses circa hæc tempora substituit, sufficit, quod in Haymone nobiscum consentiat. Interim hic noster Haymo in hac ipsa Abbatia non adeo obscure vixit, verum piissimis æque ac laboriosissimis in universam prope Scripturam Commentariis, quos infra enarraturi sumus, invigilavit,  $\tau$ ) usque dum post duorum annorum spatium ad Halberstadiensis Ecclesiæ Gubernacula venit.

$\xi$ ) Guilielmus Cave in scriptorum Eccl. Hist. lit. Sec. IX. p. 373.  $\sigma$ ) Fuldens. Antiquit. Lib. I. c. 13.  $\pi$ ) de Historicis Lat. Lib. II. c. 35.  $\rho$ ) Hist. Halb. p. 15.  $\sigma$ ) in Nova Bibliotheca Aut. Eccl. Tom. VII. c. 15. p. 176.  $\tau$ ) Brofferus in Fuld. Antiquit. L. I. c. 13.

18 Episcopatus enim, quem primus Germanorum Imperator Carolus Selingstadii (Osterwyci) fundaverat anno C. 777.  $\upsilon$ ) post 42 annos à Ludovico Pio Magni Caroli Filio translatus erat Halberstadium anno C. 819 sub Hildegrino primo Episcopo adhuc vivente; quo post 47 annos Episcopatus sui extincto,  $\phi$ ) secundus in ordine Episcopus à Ludovico Pio declaratus est Thiagrinus. In hujus locum suffectus est tertius Episcopus  $\chi$ ) hic noster Haymo circiter annum 840, secundum Chronicon Qvedelburgense, quo nituntur Centuriatores Magd. & secundum Chronicon Franco-Saxonicum M. S. quod recitat Browerus; Gvilielmus Cave autem initia Episcopatus ejus ad annum 841. refert, qua in re præcursores habet Johannem à Winnigstedt in Chronico suo

19 M. S. quod quidem parum refert. Majorem animadversionem meretur Winnigstadius, quando Ludovicum Patrem, & Filium ejusdem nominis, confundit, nostrumque Haymonem Episcopalem suam dignitatem ab Imperatore Ludovico Pio nactum esse, affirmat, cum potius Ludovicus Rex Germaniæ, imperante Fratre Lothario Imo  $\psi$ ) ipsum Episcopum constituerit. Pius enim Ludovicus ab impiis Filiis fatigatus jam anno C. 840 decesserat. Floruit itaque Haymo sub Ludovico Rege Germaniæ, sub quo magno cum animarum lucro

\* hoc etiam intendunt Guil. Budaus in chronol. Imp. & Episc. Halberst. p. 4. & chronol. Halberst. hinc verisimile videtur Lud. Pio. denominasse & Ludovicum Germanicum confirmasse. I Haymonem hic in primis & illi in ultimis diebus regimini

Pullo  
Po  
ou

cro Ecclesiæ suæ præfuit, doctrinamque cœlestem docendo (nam ipse conciones ad Populum habuit, ut Centuriatores id laudis ipsi tribuunt) & sanctè vivendo propagavit, qvæle encomium, cum unanimi Scriptorum consensu sustineat, ω) utique neque hic suo præmio defraudandus est.

υ) *Vid. David Chytræi Proemium Metropolis Cranzii p. 24.* φ) *Cranzii Metrop. Lib. I. c. 3.* χ) *ibid. Cranzii Catalogus Episcoporum Halberst. sub finem Metrop. item Bruschi Catalogus in Libro de Episcopis Germaniæ item Cent. Magd. in Catal. Ep. Halb. cent. IX. p. 312. edit. Bas.* ψ) *Brobberus in Antiq. Fuldensibus Lib. I. c. 13. confer. Hist. Halb. Dom. Sagittarii p. 14.* ω) *confer præter Tritheimium & Pitseum Cent. Magd. Centuriam IX. p. 71. item Cranzium in Metrop. lib. I. c. 33.*

Notatu dignum est, quod Winnigstadius in Chronico 22  
Halberstadiensi M.S. memoriæ de Haymone mandat: Attulit, inquit ille, Hirsfeldia secum probatæ fidei virum, cui omnes curas seculares demandavit, quo Ecclesiæ vacare posset, extruxit etiam in vicinia huic administratori suo villam ab Episcopo Hoym denominatam, ubi negotia sua sine impedimento conficere posset. Cujus Procuratoris familia villam hanc, mox in pagum excrecentem, primum incolens cognomen inde traxit de Hoym, unde originem habet nobilissima Hoymiorum familia von Haim Hoym, cum laude adhuc superstes. Docet hoc exemplum, neque Ludovicum fefellisse 23  
opinionem, quando codicem evangeliorum Dominicalium argento, auro gemmisque fulgentem α) Haymoni Episcopo dono mittens etiam atque etiam de cura animarum rerumque Ecclesiasticarum ipsum admonuit. Huic mandato vel spon- 24  
te se subjicientem inenarrabiles labores, tam late existente sua diœcesi, tam rudi adhuc populo, Haymonem subiisse, facile adparet. Nondum enim orientales illi Saxones sive Ostphali in fide christiana penitus confirmati erant. De Idolis, quæ 25  
circa hæc loca Saxones coluere, & quorum recens adhuc memoria erat tempore Haymonis, consulatur Cranzius. β) Immortali autem Deo immortalis sit laus atque gloria, qui tot horrenda Dæmonum Simulacra his in nostris oris destruere, suamque lucem evangelicam, in occidentalibus Europæ finibus

bus hac tempestate Saracenorum incurfionibus deletam, ul-  
 26 terioribus Europæ partibus patefieri voluit. Deo, inquam, fit  
 laus, qui obtenebratam Majorum noſtrorum terram tanta in  
 Haymone colluſtraverit luce. Inſtructus enim ad ſuas fun-  
 ctiones a Magdeburgicis Centuriatoribus dicitur acceſſiſſe,  
 ſcientia ſacrarum & philoſophicarum literarum & facundia,  
 27 autoritate, Sanctitatisque opinione. Et recte quidem, teſte  
 Browero, γ) virtutis & pietatis cum doctrina exuberantis o-  
 pinione ad ſapientiaſtigiū eſt evectus, nuda enim ſcien-  
 tia ſapientiam non gigni, vel Seneca nos docere poteſt, quan-  
 do ait: δ) *Qui didicit, & facienda ac vitanda præcepit, nondum ſapi-*  
 28 *ens eſt, niſi in ea, quæ didicit, animus ejus tranſfiguratus eſt.* Win-  
 nigſtadius, qui genus doctrinaſtigiū in Haymone conſpicuum o-  
 mni ſua prædicatione majus exiſtimat, præter Tritheimium et-  
 iam Catalogum Virorum illuſtrium Germaniæ & Chronicon  
 Hirschoviense fol. 13. & 24. teſtes aſſertionis ſuaſt allegat, qui  
 libri poſteriores, cum nobis non ad manus ſint, hic eos recen-  
 ſuiſſe ſufficiat.

*α) ſid. Winnigſtadii Chronicon Halb. M. S. β) Metropol. Lib. I. c. 3. γ) in An-  
 tiq. Fuld. l. c. δ) ſid. Epistoſa ejus 94.*

29 Non exiguum etiam eruditionis ejus eſt argumentum,  
 quo Winnigſtadius Hiſtoriam Haymonis illuſtrat, Episcopum  
 noſtrum Templum ſuum Cathedrale inſigni Bibliotheca,  
 quam multis ſumtibus collegerit, adornaffe, cujus quidem  
 monumenta univerſali Halberſtadenſium incendio ε) anno  
 30 C. 1179. remanſiſſe, aſſerere vix auſim. Lis enim inter Ulricum  
 decimum octavum Halberſtadenſem Episcopum, & Henri-  
 cum Leonem Ducem Saxonum ſeu Brunſvicenſem, toti ferme  
 Halberſtadienſium diœceſi exitio fuit; & ipſa metropolis Hal-  
 berſtadium ab hominibus Henrici Ducis cum omnibus Eccle-  
 ſiis ſuis & Monafteriis exuſta eſt, ζ) ex quibus Cathedrale  
 Templum poſt 41. annos ex cineribus ſuis difficulter iterum  
 exſurgit, & anno C. 1220. ſub Friderico, vigefimo ſecundo Epi-  
 31 ſcopo Halberſtadenſi conſecratur. η) Sub initium Episcopat-  
 us ſui Haymo ſuper Bodam fluvium cœnobium S. Wiperti θ)  
 fuu-

Pull

I

fundavit in Scholam Theologorum, maxime autem in hospiti-  
 tium conjunctissimi amici Rabani Mauri, Fuldensium cœno-  
 bio ejecti Abbatis, qui nostro Haymoni in perpetuæ amicitia  
 tesseram, adhuc Fuldenfis, ) Abbas viginti duos libros *de uni-*  
*verso* nuncupaverat; quarto autem exilii sui anno post N. C.  
 846. infulam Archiepiscopalem Moguntinam adeptus est. I- 32  
 psium autem S. Wiperti Cœnobium seculo insequenti Abbatia  
 x) & Urbi Quedelburgensi originem dedit, fundante Heinri-  
 co Aucupe & Seculo XII. ex nutu cujusdam Abbatissæ accepit  
 λ) Præmonstratenses a decimo tertio Archiepiscopo Magde-  
 burgensi Rortberto fundatore hujus ordinis, etiam Nortberti-  
 nos dictos; μ) verum his ipsis temporibus late vagante Hein- 33  
 rici Leonis exercitu circa Bodam fluvium omnia combusta &  
 vastata sunt, ν) qua tempestate & hoc Monasterium desola-  
 tum fuisse Winnigstadius affirmat.

ς) *bid. Crantzii Saxon. Lib. VI. c. 40. & Sagittarii Hist. Halb. p. 42. 43. ζ)*  
*bid. Maderi Chronicon Montis Sereni p. 43. & 263. η) Maderi Chron. cit. p. 136. θ)*  
*Winnigstadii Chron. Halb. M. S. ι) Johann Tritheimii lib. de Scriptoribus Eccl. fol.*  
*42. edit. supra cit. κ) Winnigstadii M. S. & Crantzii Metrop. Lib. III. c. 25. λ)*  
*Winnigstadii M. S. μ) Crantzii Metrop. Lib. VII. c. 12. ν) bid. Maderi Chronicon*  
*Montis Sereni p. 263.*

Sed memorabilia restant de Haymone nostro, & eccle- 34  
 siasticis hujus nostri seculi motibus, fide Autorum dicenda.  
 Turbatur nempe, occasione Godoschalki Monachi S. Bene-  
 dicti in diœcesi Remensi, Ecclesia. Romam enim se peregrina- 35  
 tionis causa primū contulisse dicitur, ac diu multumq; divaga-  
 tū specie prædicandi Gentib; Barbaris & Paganis Evangelii, cœ-  
 pisse spargere Prædestinatianorum errorem, quorum originē in  
 Africa Seculo Vto fusius exponit Hincmarus L. de Prædestina-  
 tione c. 1. & epist. ad Nicolaum Episc. Rom. Sopita erat horum 36  
 controversia per quatuor secula, usque dum novus motus  
 veteres turbas hisce temporibus in Ecclesia excitaret, eamque  
 in partes scinderet. Sequior pars causam, ut fit, depravavit: 37  
*Quid mihi inquires, proderit laborare in servitio Dei? Quia si præ-*  
*destinatus sum ad mortem, nunquam illam evadam: Sin autem male*

B 2

ehero

egero & prædestinatus sum ad vitam, sine ulla dubitatione ad eternam  
 requiem vado. ξ) Docuisse enim Godofchalkus dicitur gemi-  
 nam Dei prædestinationem, alteram ad vitam, ad mortem alte-  
 ram, quodque prædestinatio Dei, sicuti in bono sit, ita & in malo; & ta-  
 les sint in hoc mundo quidam, qui propter prædestinationem Dei, quæ eos  
 cogat in mortem ire, non possint ab errore & peccato se corrigere, quasi  
 Deus eos fecisset ab initio incorrigibiles esse, & pœna obnoxios in interi-  
 39 tum ire. ο) Huic malo obviam iturus Ludovicus Rex Germa-  
 niæ, π) seu, ut Centuriatores Magdeburgenses ambigunt,  
 Lotharius Imperator ρ) Moguntinæ, Archiepiscopos, Episco-  
 pos & Abbates more solito convocat anno C. 848. qui an huic  
 40 rupturæ mederi possint, dispicerent. Haymo Episcopus Hal-  
 berstadiensis, qui salutem Ecclesiæ omni vita invigilavit, huic  
 concilio etiam interesse compellitur σ) venit, mittitur quoque  
 Godofchalkus ab Archiepiscopo suo Hincmaro Remensi, qui  
 confessionem suam supra propositam Archiepiscopo Mogun-  
 tino hujus concilii Præsidi offert, nimis, ut ferunt, erroris  
 41 sui tenax. Haymo noster miseria Godofchalki hujus ta-  
 ctus nihil prius aut posterius habuit, quam ut periculum  
 omne amoliretur. Disputat cum Godofchalko τ) nec quic-  
 42 quam ad salutem hominis faciens intermittit. Verum nec  
 a Rabano nec ab Haymone nec ab alio quopiã res ad sanio-  
 43 rem statum, ut Scriptores habent, revocari potuit. Hinc a synodo  
 ista damnatus, cum epistola synodica Rabani ad Archiepisco-  
 44 pum suum Hincmarum remissus est. Acta hujus Concilii pluri-  
 bus verbis in Usseri Historia Godofchalki & in Dissertatione  
 Natalis Alexandri, quæ habetur Tomo 2do Seculi 9. & 10. in  
 Hist. Eccl. legi possunt; alia monumenta citat Sagittarius in  
 Hist. Halberstadenfi pag. 17.

ξ) Verba Rabani in Epistola Synodica citata a Nat. Alex. in Hist. Eccles. Sec.  
 IX. & X. part, 2. p. 275, ο) ex eadem epistola p. 274. π) Nat. Alexander in lib. cit.  
 p. 266. ρ) Cent. Magd. Sec. IX. p. 232. σ) Nat. Alexander. lib. cit. p. 274. & Cent.  
 Magd. loc. cit. p. 233. τ) Hincmarus L. de prædest. conf. Usserii Hist. Godofchalki &  
 Acta Erudit. lips. 1696. p. 34. de similibus Præses Diss. de conversione Samarit. §. 36. \* \* \*

45 Restat ut de morte & sepultura nostri Haymonis dicamus,  
 in quarum recensione sollicitum deprehendimus Winnigsta-  
 dium

dium, Anno post N. C. 853, inquit ille, Haymo Episcopo diem suum obiit, cum Cathedram Episcopalem 13 annos ornasset, sepultus est Halberstadii in crypta, cui templum S. Stephani incumbibat, juxta cathedram ex qua docere solitus est; Hodie 46 autem in Templo cathedrali, quod nunc est, in Sacrario, quod vocant, quiescit sub rubro marmore ad dextram aræ. v) Monumentū aliquod ejus hodie q; Ermslebiæ conspicitur, ubi sæpe sedisse fertur. Libri Chronici, Quedelburgensis, Fuldensis, annales Francici, Baronius, Bruschius aliique idem sentiunt circa annum obitus, unus Pitseus, qui quidem ipse annum 53 hujus Seculi agnoscit, observat, esse, qui 55 annum ipsi Haymoni fatalem fuisse asserant. Tritheimii error manifestus est, quando 834 Haymonem obiisse dicit, nam vel concilio Moguntino, cui Haymo noster anno C. 848 interfuit, refellitur. Diem 48 mortis nobis definire non licet, magnus enim inter Autores adhuc est dissensus: Browerus in annalibus Fuldensibus 6tum Cal. Aprilis, Vosius ex annalibus Francicis 5tum cal. Sept. Natalis Alexander diem 20. Martii, Gvilielmus Cave diem 27. Martii adducit; Casparus Sagittarius sequitur annales Fuldenses, sequatur quisque quem vult autorem, nos in re tam obscura nemo habebit adversarios, sufficit nunc, quod 49 sciamus, Haymonem a militanti Ecclesia ad triumphantem transiisse, & Hildegrinum quendam in terris Successorem habuisse. φ) Ceterum nullum est dubium, quin lites illæ inter 50 Halberstadenses & Hersfeldenses cœnobitas post obitum Haymonis circa decimas ortæ, quasi hasce Halberstadenses Hersfeldensibus adjunxisset Haymo, Diabolum Autorem haberint, ut judicat Winnigstadius; quo tanti Episcopi nomen & Doctrina infamiam contraheret: Inde quoque esse, autumat idem Winnigstadius, quod tam pauca scripta de Haymone in Rotis Episcoporum inveniuntur.

v) Vide hæc in Chronico MS. Winnigstadii. φ) consentiunt in Hildegrino Successore Bruschius Crantzius Centuriatores Magd. aliq; autores Annales Francici quendam Folchardum producunt, vid. de his Caspari Sagittarii Historiam Halberstadensem p. 17.

51 Sed hoc quicquid fit Diaboli stratagematis non tamen egregia Haymonis nostri scripta in obscuro mansere, testantur enim plurimi Scriptores de ipsius monumentis literariis.

52 Ipse Winnigstadius in Chronico M. S. hos versiculos in laudem Haymonis hac de re canit:

*Tertius ad Sacram residebat & Haymo fenestram,  
Explicat ingenio Biblia tota suo.*

53 Melchior Neofanius Brunsvicensis ex scholæ in Holsatia Humensis Rectore, Ecclesiæ Patriæ Petrinæ Pastor, Catalogum Episcoporum Halberstadenſium heroico carmine scripsit, eisdemque inseruit præcipuas historias, quæ a tempore Caroli M. primi Germanorum Imperatoris & primi Episcopatum fundatoris per Saxoniam usque ad annum 1585, in Germania his potissimum oris acciderunt, in quo ipso scripto de Haymone hunc in modum cecinit:

*Exemplum pietatis erat, studioque dicatus  
Assidue, sacro sacros longo ordine libros  
edidit, & Scholiis divina volumina doctis  
liquit adaucta.*

54 Commentaria, quorum uterque vates hic mentionem facit; longa serie recensent Tritheimius, Centuriat. Magd. & Pitseus, ut hic repetere tot scripta supervacaneum reputem. Scias, Benevole Lector, Haymonem nostrum in omnes & singulos libros, quos vocant Canonicos, tum Veteris tum Novi Testamenti commentatum fuisse, Proverbia Salomonis & ejus Ecclesiastem si exceperis, utpote de quibus non constat apud Autores. Ex libris V. T. quos dicit Ecclesia nostra Apocryphos, notis suis illustravit librum Judith & Tobia. De hisce autem commentariis omnibus notari meretur ex observatione Erasmi, Gvilielmi Cave, & Ludovici Elia Dupin, eos ex antiquioribus plerumque scriptoribus defloratos fuisse, morem etiam illorum temporum in eo Haymonem fuisse secutum, quando scripta Patrum in Compendia miserit. Facit ad  
56 meliorem cognitionem horum librorum varias earum editiones, quæ eruditorum manibus teruntur hic recitare, nam  
Gvi-



Gvilielmum Cave  $\chi$ ) & Dupinium  $\psi$ ) curiosos in eo deprehendimus, è quibus multiplicem harum notitiam habemus:

$\chi$ ) in *Scriptorum Eccles. Hist. Literaria Sec. IX. p. 373.*  $\psi$ ) in *nova bibliotheca Auctorum Eccles. Tom. VII. c. 15. p. 176.*

Psalterium prodiit uno eodemque anno 1533, tribus locis, 57  
 scilicet Parisiis, Coloniae & Friburgi, secunda hæc editio Friburgica ad manus est cum præfatione Erasmi Rot. in qua libellum de mira brevitæ, simplicitate, perspicuitate, sententiarumque pietate commendat. Prophetæ majores & minores 58  
 impressi sunt Coloniae 1573. Esaias Propheta separatim Coloniae 1531. tribus libris in 8vo. Acta Apostolorum Coloniae edita 59  
 sunt 1573. Epistolæ canonicæ septem libris extant Coloniae 1573. in Apocalypsin septem libri excussi sunt Col. 1529. it. 1531. Parisiis 1540. Circumfertur sub ejus etiam nomine commen- 60  
 tarius in Epistolas Pauli, de quo Eruditi disputant, sed Haymoni nostro illum esse vindicandum sequentibus rationibus probat Dupinius: Primo, quod Sigebertus atque Tritheimius testentur, Haymonem commentarium super Epistolas Paulinas scripsisse; Secundo, quia reliquis ejus commentariis perquam similis est, ea etiam ibi deprehenditur methodus, idem stylus, eadem loquendi formulæ; Tertio in plerisque Codicibus M. S. nomen Haymonis huic commentario præfixum legitur; Quarto denique centum post mortem ejus annis & tempore Fulberti & Ivonis Carnotensis hic Commentarius ei attributus fuit. Ottomarus Luscinus Pontificii Juris Doctor Epistola 61  
 ad Sixtum Hermannum Parochum D. Thomæ Argentoratensem Cal. Decemb. a. 1518. ita: *Commodum nobis Haymonem tua opera suppeditasti, qui Pauli Apostoli verba, seu malis cum divo Hieronymo tonitrua dicere, ea diligentia metitur, ea trutina expendit, ea facilitate aperit, ut si etiam nonnihil ei defuisse videatur (quis est enim, qui in re tam immensa non alicubi vacillet?) sedulitatem tamen, & summam diligentiam defuisse homini haud quaquam dicere queas*  $\omega$ )  
 Prodiit sub Haymonis nomine Argentorati 1519. hoc elogio ab 62  
 Hieronymo Gebvillerio Lectori commendatus liber:  $\alpha$

*Mystica*

*Mystica divini pervoscere dogmata Pauli*

*Qui cupit, hunc librum comparet atque legat;*

*Hactenus obscuri sensus, & enigmata quæque,*

*Luce magis clara hic nunc resoluta patent.*

- 63 Sub ejusdem Haymonis nomine vulgatus etiam hic comēta-  
 64 rius est Coloniae 1531. Parisiis 1556. in 8vo. sub Remigii Remensis  
 nominae Romae 1598. & Moguntiae 1614, Expositionē ejus in Can-  
 tica etiam Cassiodoro & S. Thomae adscribi solere, Historia Go-  
 thana procul dubio ex Bellarmino habet; Ipse tamen Bellarminus  
 antiquiori esse adscribendum, putat. Hæc de Commentariis  
 65 Haymonis. Extant præterea duo Tomi Homiliarū ejus, qui pre-  
 lo submissi sunt Col. 1532. 1536. 1540. & Antwerpiae 1559. Homiliae  
 aliae in Evangelia Dominicalia & de Sanctis Col. 1536. in fol.  
 Parisiis eodem anno & 1545. in 8vo, de varietate Librorum li-  
 66 bri tres Parisiis 1531. Memoratur ejus etiam Compendium Hi-  
 storiae Eccl. seu de Christianarum rerum memoriae libri de-  
 cem, qui impressi sunt cum Severo Sulpitio, & notis Petri Gale-  
 fini Col. 1531. in 8vo & iterum ibidem 1553. & denuo 1573. in 16mo  
 separatim, item Lugduni Batavorum 1650. Romae cum Gale-  
 fini notis 1564 correctius & emendatius cura Joachimi Made-  
 67 ri Helmstadii 1671. Superfunt nonnulla alia opuscula Haymo-  
 nis. Scripsit enim & brevem Expositionem Canonum, libel-  
 lum de Sancta Trinitate, item de amore cælesti. Hono-  
 rius Augustodunensis in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis β)  
 68 eidem tribuit librum de voluptate mundi. Denique in tomo  
 12. Spicilegii, quod Lucas Dacherius edidit extat opusculum  
 de Corpore & Sanguine Domini, quod judice Dupinio  
 est fragmentum aliquod homiliae hujus Episcopi. Ob-  
 servat Dupinius, quod ibi doceatur Transsubstantiatio, si-  
 ve realis conversio Panis & Vini in Corpus & sanguinem Chri-  
 sti. Hoc enim dogma in Seculo Haymonis sua semina ha-  
 69 buisse exponit Historia Eccl. Gothana. γ) Verum esto illud,  
 etsi a modo simili loquendi argumentari semper non licet, cer-  
 tum est ex consensu nostratium δ) Haymonem nostrum licet non  
 prorsus ab omnibus maculis & nevis sui seculi fuerit immunis, de pleris-  
 que

riusque tamen doctrina capitibus multo sincerius scripsisse, quam alios Do-  
ctores aequales. Quod ipsum & nos nunc jam sumus demon- 70  
straturi, qui præmissa ejus vita ad doctrinam Haymonis nostri,  
quatenus ea testimonium Veritatis ipsius tempore esse potuit,  
properamus. Non quidem in hunc finem doctrina Haymonis 71  
proponitur, ac si nostra hæc ætas luce illius ævi indigeat, quin  
potius ut lucem in tenebris, & testimonium Veritatis salvan-  
dis, istis quoque temporibus extitisse doceamur; nobisque oc-  
casio gloriam Dei amplificandi in repetenda ipsius misericor-  
dia, qua majores nostros Patriamque est complexus, subna-  
scatur.

a) *Bid. Sagittarii Hist. Halb. p. 15. 16. a) ib. p. 15. β) Honorius p. 128. edit. Antwerp. 1639. γ) Historia Eccl. Gothana Lib. II. p. 502. conf. Cent. Magd. Cent. IX. p. 115. δ) Bid. Centuriatores Magd. Cent. IX. c. 10. p. 323.*

Subnexam autem Haymonis doctrinam ex nullis aliis 72  
ferme scriptis nunc collegimus, quam ex commentario in E-  
pistolas Paulinas, usi editione, quæ typis exscripta est Colonia  
1531. & ex Homiliis in Evangelia Dominicalia, & de Sanctis, im-  
pressis Colonia 1536. Hisce duobus scriptis, adspersis aliquan- 73  
do notulis, inhærere volumus, ut utrumque experti credere,  
possemus, & Haymonem divinarum scripturarum sagacissi-  
mum interpretem (quo ipsum elogio maectat Trithemius) &  
in declamandis homiliis ad Populum excellentis ingenii fuis-  
se. ε) Magnum quoque mihi addidit calcar tum in amplecten- 74  
dis Haymonis scriptis omnibus, tum maxime in eligendis hisce  
homiliis, quod B. Sagittarius in laudem horum librorum, præ-  
sertim Homiliarum, refert. Scilicet Chalcographum de Ho-  
miliis ex Arnemensi Gelriæ monasterio allatis, in capite ipsius  
libri inter alia sic affari lectorem: *Est vel doctissimorum quorumq;*  
*judicio plane dignus hic Autor, quem studiosissime legant, nunquã e mani-*  
*bus extorqueri sibi sinant, quotquot ad veterem illam solidamque &*  
*nunquam satis laudatam Theologiam adspirant, cujus cum in omnibus*  
*doctissimi hujus atque catholici Viri monumentis, tum in his præcipue*  
*homiliis, ceu opulentissimum quoddam cornu copiae continetur. ζ) Mi- 75*  
hi id dictum putavi, appuli animum meum ad hæc Homilias,

C

legi,

legi, & in legendo elegi quæcunque, Benevole Lector, in sequentibus paginis per certas classes digesta vides.

1) *bid. Tritheimium de Scriptoribus Eccles. in Vita Haymonis.* 2) *bid. Sagitt. Hist. Halberst. p. 16.*

## PARS POSTERIOR

De

# DOCTRINA HAYMONIS.

§. I. De fine doctrinæ veræ, qui est Imago Dei.

**S**icut quærit Cæsar in denario imaginem suam, sic DEUS quærit in homine suam. Nec alienum quærit Deus ab homine, sed quod condidit in homine. Ideo Deus homo factus est, ut in homine reformaret, quod in homine formavit. Hom. p. 117. col. 1.

§. II. Via ad visionem Dei.

Si Deum videre optamus, nunc per speculum in ænigmate; & postea a facie ad faciem; transmigrare studeamus de vitiis ad virtutes, & de amore mundi ad amorem Dei. Hom. p. 277. c. 2.

§. III. De scriptura Sacra.

Scripturæ dicuntur semitæ, quia bene intellectæ ducunt ad vitam. Comm. ps. 17.

Gratia Dei Deum timentibus aperit occulta Scripturarum. Comm. ps. 28.

Qui Sacras Scripturas legit sedulo, ille invenit, quæ sit voluntas Dei, hoc est, quid Deo placeat, quidue displiceat, vel quomodo voluntas ejus impleri possit. Comm. Rom. 12.

Sicut elementa initium & fundamentum sunt omnium corporalium, ita lex & Prophetæ initium & fundamentum sunt omnium divinatorum eloquiorum. Comm. Gal. 4.

§. IV. De peccato originali.

Christus Joh. 9. vidit cæcum, non utcunque cæcum, sed cæcum a Nativitate. Omnes enim homines, præter illum solum qui ex virgine natus est, originali peccato cæci, id est, cum

pec-

peccato nati sunt, quod ex radice peccati primi parentis traxerunt. H. p. 172. col. 1.

Omnis homo, in quantum creatura Dei, bonus est, quantum vero se subjicit per *liberum arbitrium* Diabolo, a Patre Diabolo est. Bona est enim hominis natura, sed vitiata per malam voluntatem, & inde est a Patre Diabolo. H. p. 119. col. 2.

Homo, quando *nascitur*, jam cum morte nascitur, quia de Adam peccatum trahit. Hom. p. 179. col. 2.

Confiteatur Catholicus, quia nemo immunis a noxa primæ prævaricationis nascitur, & invocet gratiam Dei, qua liberetur de corpore mortis per J. C. D. N. Hom. p. 401. col. 2.

§. V. De Causa peccati.

Aliud est natura in homine, aliud peccatum. Natura in homine a Deo creata, valde bona est, peccatum a Diabolo inventum. Bonum quippe sine malo esse potest, malum vero sine bono esse non potest, quia privatio boni nihil aliud est, quam inventio mali. Hom. p. 185. c. 2.

Diabolus a semetipso mendax fuit, & mendacium suum ipse genuit. A nemine audivit mendacium prius. Quomodo genuit pater filium veritatem: sic Diabolus genuit quasi filium mendacium. Mendacium genuit, quia in veritate non stetit. omnis enim, qui in Deo manet, in veritate manet, quia Deus veritas est. Si quis vero a Deo recesserit, mendax erit, dicente Psalmographo Ps. 116. II. omnis homo mendax. In quantum vero homo a Deo recedit, in tantum mendax erit, dum se a veritate declinaverit, & inde peccator erit, quia omne peccatum non est veritas, sed mendacium; Quia recedens a Deo non habet veritatem. Diabolus vero bonus creatus est, sed per seipsum malus factus declinando se a summo bono. Ideo ex propriis locutus est mendacium, quia in se ipso invenit unde est mendax. Homo autem deceptus a Diabolo, mendax, ideoque filius Diaboli, non natura, sed imitatione. Recedamus ergo a patre mendacii, & curramus ad Patrem veritatis, amplectamur veritatem, ut accipiamus veram libertatem. H. p. 120. c. 1.

§. VI. Peccati Servitus.

O Miserabilis servitus, servire Peccato, servire Diabolo, qui peccati autor est! Sæpe homines malos dominos fugiunt, ne serviant malis, & non fugiunt peccatum. Quanto felicius esset, fugere peccatum & servire homini libera conscientia! Deinde servus hominis aliquando sui Domini imperiis fatigatus fugiendo requiescit: Servus autem peccati quo fugiet? Secum enim retrahit vindex conscientia, quocunque fugerit, non fugit, sed ipsum mala conscientia sequitur; imo non recedit a se, peccatum enim, quod fecit, intus est. Fecit peccatum, ut aliquam corporalem caperet voluptatem, voluptas transit, peccatum manet; præterit quod delectat, remansit quod pugnat. mala servitus! Aliquando fugiunt homines improbos dominos, fugiendo quiescunt a servitute, sed quomodo illi servitute carebunt, qui nolunt carere peccatis? Quanto facilius est, si deserat homo peccatum, fugiatque ad Christum, veræ libertatis vindicem atque authorem. Liberat enim ab hac servitute peccati solus Dominus, qui peccatum non habuit H. p. 117. c. 2.

§. VII. Peccatum originale producit Actualia.

Sicut radix virens in terra virgulta germinat, sic malitia latens in corde vitia generat. H. p. 297. c. 1.

§. VIII. De Circumcisione his opposita.

Quisque cum præputio nascitur, quia omnis homo cum vitio propaginis nascitur. Et non mundat Deus, sive a vitio cum quo nascimur, sive a vitiis, quæ male vivendo addidimus, nisi per *cultellum petrinum*, idest, Dominum Jesum Christum. Petra enim Christus 1. Cor. 10. & petrinis cultellis circumcidebant Judæi Jos. 5. Ex. 4. & petrae nomine Christum figurabant. H. p. 170. col. 2.

§. IX. Christus secundum utramque naturam Mediator.

Christus Jesus per hoc, quod homo pariter ac Deus est, Mediator noster est: Verba Dei Patris referens nobis; & modo nostra ad illum: Interpellans assidue pro nobis; simulque sua  
pas-

passione confirmans nobis testamentum novum Com.  
Heb. 13.

Magna misericordia Domini nostri Jesu Christi, factum esse eum propter nos in tempore, per quem facta sunt tempora: factum esse inter omnia, per quem facta sunt omnia, factum esse, quod fecit. Factus est quod fecerat, factus enim est homo, qui hominem fecerat, ne periret, quod fecerat. Hom. p. 71. col. 2.

Anima Christi & Caro Christi cum Verbo Dei una persona est, unus Christus. H. pag. 181. col. 1.

Utrumque noverimus in Christo & unde æqualis est Patri, & unde illo major est Pater. illud Verbum est, hoc Caro, illud Deus est, hoc homo, sed unus Christus Deus & homo H. p. 185. c. 1.

Christus dicit: Ego & Pater unum sumus. Unum in substantia, duo in Persona. *Unum* dixit in substantiæ unitate, *Sumus* dixit propter personarum distinctionem. Audi quid dixit: Ego & qui misit me Pater. Distingve Personas, agnosce, quia Pater Pater est, agnosce, quia Filius Filius est, ne in Barathrum Sabellianum pervenias & noli dicere: aliud & aliud, sed dic: Alius & Alius. Non aliud in Substantia, sed alius in Persona. Non Pater major, non Filius minor in Divinitatis gloria, sed crede: Unum sumus. In eo quod dixit ipsa Veritas *Unum* libera te ab Ario, quod dixit *Sumus*, libera te a Sabellio. Si unum: non ergo diversum, si sumus: non ergo unus. H. p. 183. c. 2.

### §. X. Christus Lux Mundi.

Christus lux Mundi, cujus perpetuum splendorem humana fragilitas videre non potuisset, nisi nube carnis tegeretur, per quam, quasi per quoddam lucidissimum speculum, divini luminis claritas humanis mentibus innotesceret, quæ fide purgandæ sunt, ut tanti luminis adspectu dignæ efficiantur. H. p. 182, c. 1.

### §. XI. Christus Rex & Pontifex.

Christus *Rex & Pontifex*, cum eximiam carnis suæ hostiam Patri in altari Crucis offerret, Regis quoque, qui Rex prædictus erat, dignitatem titulo prætendit, ut cunctis legere, hoc est audire & credere volentibus insinuaret, quod per Crucis

patibulum non perdiderit suum, sed confirmarit potius, & corroborarit imperium. H. p. 237. c. 1.

Rex Judæorum Christus est, sed judæorum circumcissione, Cordis & Spiritu, non litera, quorum laus non ex hominibus, sed ex Deo, pertinentium ad Jerusalem liberam, matrem nostram æternam in cœlis, Saram spirituaalem, Ancillam & filios ejus de domo libertatis ejicientem. H. p. 252. c. 1. 2.

§. XII. Christus regnat in medio Hostium.

Posidet Diabolus genus humanum, & reos suppliciorum tentat chirographo peccatorum, dominatur in cordibus infidelium, ad creaturam colendam deserto creatore deceptos captivosque trahit. Per Christi autem fidem, quæ morte ejus & resurrectione firmata est, per ejus sanguinem, qui in remissionem fusus est peccatorum, credentes a dominatu Diaboli *liberantur*, Christi corpore *copulantur*, & sub tanto capite uno ejus Spiritu fidelia membra ejus *vegetantur*. H. p. 222. c. 1.

Ille dicit Jesum *Dominum* esse, qui credit eum Patri & Spiritui S. coæqualem & omnipotentem, & hunc confitetur servando præcepta illius, quibus vera dilectio comprobatur. Comm. in Epist. Paul. I. ad Cor. 12.

§. XIII. De Trinitate.

Ignorantia est cœcitas: ita cognitio S. Trinitatis, quæ in V. & N. Testamento continetur, lux & illuminatio cordis est. Com. Rom. 14.

§. XIV. De Statu *sub* Lege.

Mortuus *sub* lapide (Joh. II) Reus *sub* lege. Scitis enim, quod quæ data est Judæis, in *lapide* scripta est, omnes autem rei *sub* lege sunt. Boni viventes enim in lege non sunt. Justo Lex posita non est. Quid est ergo lapidem remove? Gratiam prædicare. Apostolus enim Paulus ministrum se dicit *novi Testamenti*, non *literæ*, sed *Spiritus*. Nam litera, inquit, occidit, Spiritus autem vivificat. Litera occidens quasi lapis est premens, removete, inquit, lapidem, removete Legis pondus, gratiam prædicate. H. p. 181. c. 2.

§. XV.



§. XV. Doctrina Evangelica.

Idem Redemptor & Conditor noster filius Dei ante secula existens filius hominis factus est in fine seculorum, ut, qui nos per divinitatis suæ potentiam creaverat ad perfruendam vitæ perennis beatitudinem, ipse per fragilitatem humanitatis nostræ nos restauraret, ad recipiendam quam perdidimus Vitam. H. p. 314. c. 2.

Nullus præ magnitudine peccatorum suorum remissionem se consequi posse desperet, si legitime pœniteat, quando ipsis Hierosolymis cognoscit indultum, qui cruentis manibus & mendacibus vocibus ipsum sanguinem, per quem genus humanum redemptum est, effuderunt, quoniam, sicut Dominus ait per Prophetam, nolo mortem peccatoris. H. p. 271. c. 2.

Nemo de magnitudine peccatorum desperet, quia etsi magni morbi animarum, omnipotens tamen est medicus, qui non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam; nullum enim vulnus peccatorum tam magnum est, quod per pœnitentiam sanari non posset, si tamen medicina pœnitentiæ non negligatur. H. p. 355. c. 2.

§. XVI. De Contritione & Pœnitentia.

Quid est, quod turbat seipsum Christus, (Joh. XI, 33.) nisi ut significet tibi, quomodo turbari debeas, cum tanta mole peccati gravaris & premeris? Attendisti enim te, vidisti te, computasti tecum: Illud feci; & pepercit mihi Deus. Illud omisi; & sustinuit me. Evangelium audivi; & contemsi. Baptizatus sum; & iterum ad eadem revolutus sum. Quid facio? quo eo? Unde evado? Quando ita dicis, jam fremit Spiritus; quia fides fremuit, in voce frementis apparet spes resurgentis. Ergo fides tua de Christo, Christus in corde tuo, ergo fremat Christus in corde tuo. Flevit ergo Christus amicum mortuum, quem venit resuscitaturus, quare enim flevit, nisi quia hominem flere docuit, oppressum pondere peccatorum, quare fremuit & turbavit seipsum, nisi quia fides hominis sibi merito displicentis fremere hunc ad modum debet in accusatione malorum operum, ut

vio-

violentiæ pœnitendi cedat consuetudo peccandi. H. p. 181. c. 1.

Qui vult mundationem recipere, debet Domino occurrere, i. e. cum lacrymis & gemitibus se peccatorem agnoscere, & Domini Misericordiam *compuncto corde* exorare, dicens cum Propheta Ps. 51. Misere mei secundum Magnam Misericordiam tuam H. p. 75. c. 2.

Ille Christum non quærit, qui salutem animæ suæ *per pœnitentiam* non quærit. H. p. 129. c. 1.

§. XVII. De Libero Arbitrio.

Omnia Dei Dona divinæ reputemus gratiæ, nihilque suis quis meritis audeat deputare; quia bonum quicquid est in homine, ex Dei *tantum* est operatione, non ex humana sapientia vel virtute. Humiliter tamen impendere debemus proximis bonum, quod habemus, quia scimus non ex nobis esse, quæ sunt bona, sed ex Dei *tantum* pervenire gratia. H. p. 317. c. 1.

Deus operatur omnia in omnibus. Quibus verbis tollitur humana arrogantia: Cum sine Spiritu S. *nec magna, nec minima* operari possit nostra fragilitas. Comm. 1. Cor. 12.

Non solum non valemus bonum aliquod perficere sine Dei misericordia & gratia, præcedente & subsequente, sed nec cogitare. Dei enim gratia nos prævenit ut *velimus*; Et ipsa nos subsequitur ut *possimus*. Com. 2. Cor. 3. *vide alium usum supra p. 17.*

§. XVIII. De Oratione.

Deus peccatores non audit Joh. 9) Si peccatores Deus non audiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittens & pectus suum percutiens, diceret: Domine, propitius esto mihi peccatori! Nam per istam confessionem *meruit* \* justificationem, quomodo iste Cæcus illuminationem. Sed peccatoribus lavandum est Cor pœnitentiæ lacrymis, ut exaudiantur: Et fiat in corde illorum, quod factum est in facie cæci hujus, & sentiant Deū illos exaudire, qui, ut peccatores salvaret, venit in mundum - Incumbite ergo orationibus, peccatores! Confitemini peccata vestra. Orate ut deleantur, orate ut minuantur, orate ut vobis proficientibus ipsa deficient. H. p. 174. c. 1. 2.

\* *locutio non imitanda, at in istis seculis frequens saniore sensu, qui mox succedet.*

Pius

Pius Dominus sua dona *gratuita* nostra vult esse merita, id est non vult bonum nostrum invitum & coactum esse, sed spontaneum & voluntarium : Et quod nobis sponte largitur, vult nostris petitionibus tribuere. H. p. 97. c. 1.

Cum Deus nos ad petendum hortatur, sua dona *gratuita* nostra vult esse merita: Et ideo, quamvis sciat, quid nobis necesse sit, antequam petamus eum, ut inveniat in nobis, quod juste remuneret, ad petendum nos invitat, dicens: omnis qui petit accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur. H. p. 301. c. 1.

Non divina pietas adjutorium sibi petenti negabit, si ille orando a petitione non defecerit, *nec de suis meritis aliquid presumat*, sed in illius misericordia confidat, cui per Prophetam dicitur Ps. 60. In Domino faciemus virtutem. H. p. 98. c. 2.

Aliquando Sancti in oratione contraria animæ suæ ignoranter petunt; occulto tum Dei judicio non ad voluntatem, sed ad salutem exaudiuntur H. p. 301. c. 2.

§. XIX. Orationis objecta.

In oratione non aurum, non argentum, non terrenas divitias petere debemus, non præsentis vitæ longitudinem, sed vitam æternam, & ea quæ ad illam pertinent, id est, virtutes animæ. H. p. 302. c. 1.

§. XX. Orationis requisita.

Duo sunt, quæ in oratione sollicite considerare debemus, primo, ut ea petamus, quæ Deus velit; secundo, ut nostra vita a nostris precibus non discordet. H. p. 306. c. 2.

Si Christianus senserit sua desideria a Domino differri, tamdiu jungat preces precibus, quoad usque assiduis gemitibus in sui adjutorium divinum excitet auxilium. H. p. 80. c. 2.

*Memorable est, quod H. Hopfnerus in Saxonia Evangelica p. 278. vel ex eo conjici licere putat de magno Francofurtensis synodi, qua Nicæna II opposita fuerat, fructu, quod Haymo & Radanus proximo seculo de adoratione imaginum nihil doceant.*

§. XXI. De justificatione per fidem.

Genus humanum tam ex Judæis, quam ex Gentibus, ini-

D

qui-

quiratis lepra pollutum aliter mundationem animæ non potest accipere, nisi per ejus fidem, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, teste Apostolo, qui ait: *Non est distinctio Judæi & Græci, omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* Hom. p. 75. c. 1.

Lex non est ex fide Gal. III. 12.) Fides est ea credere & sperare, quæ non videntur: lex ergo non complebatur fide sed opere; evangelium vero magis completur in fide, quam in operibus, quia *sola fide salvat.* Comm. Gal. 3. *sic habet editio ipsa Moguntina Ao. 1614. f. 310.*

Christi (perfecti in sacerdotio) passio ejusq; obedientia omnibus credentibus sufficit ad vitam æternam. Comm. Hebr. 5. 9,

*Haymo ponit credentibus pro obtemperantibus sibi, ponit sufficit: neque tamen ideam latam aperit. accipit enim rō credere efficaciter ac serio, idque sapissime in scriptis suis admonuit.*

Dum in eum credimus, & ejus sanguinem pro nobis fustum confitemur, ut ipse propitium nobis faceret Deum P. & placabilem per fidem passionis suæ, ex integrò justificamur, Comm. ad Rom. III. 25. *Credenti reputatur fides ad ejus justitiam, id est, ad remissionem.* ibid. Rom. IV, 5.

§. XXII. Gratia salvamur.

Deus injuriam facere videretur, si, quod ex debito deberet, ex premio non redderet; cum vero nullis per debitum, sed solum modo per gratuitam misericordiam, quibus vult, tribuit, nullus contra justitiam Dei murmurare potest. Quoniam cui vult miseretur, & quem vult indurat, miseretur sola bonitate, indurat nulla iniquitate. Quia etsi judicia ejus aliquando sunt occulta, non tamen injusta. H. p. 88. c. 1.

Pulchre a Christo dicitur: Vobis datum est nosse mysterium Regni Dei, ceteris autem in Parabolis, ut ostendat, nemini de suis meritis gloriandum, sicut faciebant Pelagiani, qui dicebant Hominem justificari posse sine gratia Dei. Nec de sua sapientia vel virtute præsumendum, quando Apostoli My-

Myſterium Regni Dei a ſe ipsis non habuerunt, ſed datum a Deo acceperunt. H. p. 90. c. 1.

Vita æterna nulli per debitum redditur, ſed per gratuitam miſericordiam datur. H. p. 86. c. 2,

Sine pœnitentia ſunt dona & Vocatio Dei. Dicamushoc apertius: Nascitur quis cum originali peccato, addit deinceps multa actualia. Si crediderit, vocatus eſt, baptizatus ſtatim, ab hac vita ſubtrahitur, accipit dona perennis vitæ: Ecce dona & vocatio Dei ſine pœnitentia. Comm. Rom. II. v. 29.

§. XXIII. Omnia Dona Dei ſunt gratuita.

Notandum. quod Paulus 1. Cor. 12. non ait: diſiſiones meritum ſunt, ſed gratiarum, quia Dona Dei gratis dantur, non humanis meritis tribuuntur: Unde ad Rom. II. ait: Quis prior dedit illi, id eſt Deo fidem ſuam aut aliquid, & retribuetur ei? Spiritus ſanctus cum ſit immenſus tribuit ipſe juſtis gratiam, ſuam ſecundum quod ipſi videtur, ipſe tamen omnipotens in immenſitate ſua perfeſerat. Et quantum vult, & cui vult, & quando vult, & quomodo vult dat, & nihil minus habet, quia extra ſe nulli erogat. Comment. 1. Cor. 12.

§. XXIV. Fides qua credimus.

Fides qua credimus in Deum, & a Patre, & a Filio, & a Spiritu Sancto. datur, nec eſt in homine naturaliter, ſed a Deo datur. Quoniam ſi eſſet; omnes haberent Fidem. Comm. 1. Cor. 12.

Dabitur a Patre credentibus Fides, ut nemo glorietur in fide ſua, quæ a ſe non eſt, quaſi propria, ſed a Deo data, quaſi gratuita. Hom. p. 199. c. 2.

§. XXV. Fides quæ creditur.

Eadem fides, quæ fuit in Patriarchis & Prophetis eadem eſt in omnibus gentibus poſt reſurrectionem illius. H. p. 203. c. 1.

§. XXVI. De incremento Fidei credentis.

Si ipſa fides ad perfectionem ſuam non quibusdam gradibus duceretur, iſte interrogatus, an crederet Marc. 9. non reſpondiſſet: credo, Domine, adiuua incredulitatem meam. H. p. 402.

Si manseritis, hoc est, in fide, quæ in vobis esse credentibus cæpit, quo pervenietis videte. Quale est initium, & quo perducit. Amastis fundamentum, culmen attendite, & ex ipsa humilitate etiam celsitudinem quærite. Fides enim humilitatem habet, Cognitio & immortalitas & æternitas non habent humilitatem, sed ex celsitudine erectionem. Magnum est quod incipit a fide, sed majus, quo pervenitur per fidem. H. p. 116. col. 2.

§. XXVII. Fides victoria de mundo.

Firma fide in Christum vincimus mundum & omnia terrena desideria, omnemque terrenum amorem atque peccatum nec non diabolum, qui Princeps est & inventor peccati. H. p. 280. c. 2.

§. XXVIII. Fides fundamentum bonorum operum.

Fides magna est virtus, sine qua impossibile est placere Deo. Sicut enim infidelitas mater & radix est omnium vitiorum, sic Fides origo omnium Virtutum, dicente Propheta Hab. 2. Justus ex fide vivit. H. p. 97. c. 2.

Cornelius a fide venit ad bona opera agenda, non ab operibus ad fidem. Nisi enim Cornelius fidem primum habuisset, præventus ab inspiratione divina, nequaquam bona opera habuisset. Sed sicut beatus Gregorius dicit: præventus est a Deo, ut haberet fidem unius Deitatis, non tamen trinitatem Personarum in Deo esse cognovit, quoadusque Petrus ad eum missus est. Unusquisque Deo fidem & opera sua tribuit, quando ejus gratia præventus credit in eum, & bona opera exercendo studet voluntati ejus placere. Comm. Rom. 12.

Initium bonorum operum tuorum confessio est operum malorum. facis veritatem, & venis ad lucem venis autem ad lucem, ut manifestentur opera tua, quia in Deo sunt facta. Quia & hoc ipsum, quod tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi Deus tibi luceret, & ejus veritas tibi ostenderet. H. p. 325. c. 1.

Ut fides sine operibus mortua est, ita opera si non sunt ex fide, nihil profunt. H. p. 278. c. 1.

§. XXIX.

§. XXIX. De morte & Vita Spirituali.

Deus est Deus non mortuorum, sed vivorum. Omnes enim illi vivunt. Crede ergo, & si mortuus fueris vives, si autem non credis, & si vivas, mortuus es. Unde est ergo mors in anima? Quia non est fides in ea. Unde est in corpore? Quia non est in anima. Ergo animæ tuæ vita fides est. Sicut anima corporis est vita corporis; ita fides animæ vita est animæ. H. p. 180. c. 2.

Christus fremuit, lacrymavit, voce magna clamavit, ut animo perpendas, quam difficile surgat, quem moles malæ consuetudinis premit; sed tamen surgit occulta gratia, intus vivificatus. Surgit post vocem magnam: Lazare veni foras. Quomodo processit ligatis pedibus miraris, & non miraris, quia surrexit triduanus; in utroque potentia Domini erat, non vires mortui. H. p. 181. c. 2.

Vita corporis anima est, & vita animæ Deus est. Sicut enim moritur corpus sine anima, sic anima sine Deo. H. p. 187. c. 2.

Nos si confurgere cupimus cum Christo, prius moriamur mundo & concupiscentiis carnalibus, deponentes veterem hominem, id est, malam voluntatem, vel usum pravum & delectationes pessimas. Cum enim mortui erimus mundo facultatibus atque desideriiis ejus, vita nostra abscondita est in Deo quia filii Dei sumus. H. p. 255. c. 1. 2.

§. XXX. De Illuminatione.

Cæcitas est infidelitas, Illuminatio est Fides. H. p. 171. c. 2.

Qui desiderat illuminari & cæcitatem mentis deponere, non debet orando a petitione cessare, sed spiritualiter semper mendicare. H. p. 98, c. 1.

§. XXXI. De Tentatione.

Impossibile est hominem, quamdiu in hac vita fuerit, non tentari. Tentatur quilibet, quando vel animo vel corpore in delectatione alicujus vitii titillatur, inducitur autem in tentationem, si suæ delectationi cœperit consentire. H. p. 230. c. 1.

Quid aliud petimus cum dicimus: Ne nos inducas in tenta-

tationem, nisi ut ille, qui insidiatur, vel certe extrinsecus, nulla erumpat ex parte, nulla nos fraude decipiat, nullis nos subvertat machinis, quando non tenet locum cordis, unde fide ejectus est foras. Sed nisi Dominus custodiret civitatem, in vanum vigilat, qui custodit eam. Nolite ergo de vobis ipsis præsumere, si non vultis foras ejectum Diabolum intro iterum revocare. H. p. 222. c. 2.

Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis. Hæc tentatio non est timenda, sed potius propter probationem toleranda ac optanda. H. p. 162. c. 1.

Procella tentationis, ex invidia Diaboli orta, mentem viri justi a bono proposito commovere optat, aliquando pravorum persecutionibus exterius, aliquando impulsu malarum cogitationum interius, nonnunquam etiam ex propria fragilitate, carnis stimulis ortis, tentationum. Quanto magis quisque in Deum proficit, tanto magis invenit in seculo, quod durius portet. Exemplo Israelitarum, qui tunc à Pharoone duplici vexati sunt afflictione, cum eos, à Mose monitos ad divinum contigit auxilium confugisse, quando per Mosen & Aaron ad terram repromissionis sunt vocati. H. p. 80. c. 2.

§. XXXII. De tentatore Diabolo.

Diabolus non est autor malitiarum, sed potius incentor. Incentor etenim potest esse, sed non autor. Non enim potest interiora NB. cordis nostri rimari, sed ex gestibus corporis intelligere, quid cogitemus. Verbi gratia: Si viderit nos frequenter pulchram mulierem respicere, ex motu oculorum intelligit, cor nostrum amoris jaculo esse vulneratum. Ex qua ratione probatur, quod ipse non est autor, sed incentor & cumulator malarum cogitationum H. p. 152. c. 1. *conf. §. 5.*

Diabolus nulli NB. Christiano nocere potest, nisi nos ei sponte subjiciamur, H. p. 168. c. 2.

§. XXXIII. De Pugna Spirituali.

Quo acrius se aliquis sentit impugnari a malignorum spirituum tentatione, seu ab ipsa consuetudine peccandi, eo fortius debet pugnare in oratione, propter illud, quod Dominus ait:

ait:



ait: Marc. 9. Hoc genus non ejicitur nisi in oratione & jeju-  
nio conf. 1. Pet. 5. Estote sobrii &c. H. p. 98. col. 2.

Cum phantasma tentationum in oratione patimur, quasi  
transeuntem Dominum audimus: Sed si in orando, quæren-  
do, pulsando, petendo perseveraverimus, quasi stans nos ad se  
adduci jubet. Quoniam, tranquillitate mentis reddita, dul-  
cedinem suæ contemplationis vel tenuiter manifestat, quia ut  
ipse ait: beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.  
H. p. 99. c. 1.

Multis modis immundi Spiritus post confessionem men-  
tem retrahere conantur, ne in conversione permaneat, ali-  
quando suasionibus, aliquando increpationibus, contra  
quæ omnia Scriptura Salomonis animum firmare admonet,  
cum dicit: Fili accedens ad servitutum Dei sta in justitia & ti-  
more, & præpara animam tuam ad tentationem. Eccl. 2. Nec  
solum immundi Spiritus, sed etiam ipsa consuetudo peccandi  
durius incipit rebellare, cum senserit post consveta mala ad  
virtutes velle ire. verbi gr. ebriosus aliquis, cum ad sobrieta-  
tem redire consurgit, mox contra eum titillatio potandi sur-  
git. Adulter, cum castitatem fovet, statim contra eum car-  
nis delectatio consurgit, & ad præterita commissa retrahere  
cupit, ne ad Dominum convertatur. H. p. 98. c. 2.

§. XXXIV. De Crucis mysterio.

Plerique non facile ad Deum convertuntur, nisi prius aut  
infirmirate, aut paupertate, aut aliqua necessitate adstricti fue-  
rint. H. p. 351. c. 1.

Nonnulli electi post carnis desideria currere desiderant,  
cum amatoribus mundi communem vitam ducere, sed ocu-  
lus divinæ misericordiæ, eorum impias actiones præveniens,  
alios infirmitate adfligit, alios paupertate attenuat, alios ne-  
cessitatibus variis coangustat. H. p. 351. c. 1.

Non omnis, qui infirmatur, ob peccata infirmatur. Sæpe in-  
firmatur homo, ne extollatur in donis Dei, sicuti de Paulo Apo-  
stolo legitur; sæpe, ut probetur, tribulatur, sicuti B. Jobi  
patientia tribulata & probata est; sæpe infirmitas pro casti-  
ga-

gatione datur, flagellat enim Deus omnem filium quem recipit Hebr. 12. Quibusdam vero infirmitas pro gloria Dei datur, ut de cæco nato, vel de Lazaro legitur: Novit Dominus, pro quo quemlibet infirmari jubeat, vel dimittat. Sæpe occulto in hominibus agit judicio, sed nunquam injusto. Sed discamus flagellis piissimi Redemptoris nostri humiliter substerni, arbitantes nos minus pati, quam meremur, semper illius sententiæ memores: beatus homo, qui corripitur a Domino. H. p. 122. c. 1.

De omnibus Christi servis hoc dicitur modo, quicumque eminent in aliqua gratia. Alii dicunt: bonus est; Alii: non! sed seducit turbas. Unde hoc? Quia vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Hoc patitur corpus Christi a mundi amatoribus, quod tunc passus est Christus a Judæorum murmuratoribus. H. p. 193. c. 1.

Quamdiu exterior homo corrumpitur, ut interior renove-  
tur de die in diem, tempus est crucis. H. p. 236. c. 2.

Mali persequendo Ecclesiam faciunt eam impingvescere  
interius & fructiferam Com. Ps. 82.

Nunquam est Ecclesia sine impugnatione Diaboli & Mini-  
strorum ejus. Comm. Psalm. 139.

§. XXXV. De Consolatione.

Si spiritualiter à Christo refici cupimus, necesse est, ut delecta-  
tiones carnis sub mentis dominio comprimamus. H. p. 163. c. 2.

Spiritus S. Paracletus, corda fidelium, ne inter adversa hujus  
seculi deficient, cœlestis vitæ desiderii sublevat ac reficit. H.  
p. 319. c. 2.

§. XXXVI. De Patientia.

Nulla sunt bona, quæ agimus, si pessimorum mala æquani-  
miter non toleramus. Patientia enim vera est, quæ nullo fu-  
rore vincitur, nulla tribulatione separatur, nulla persecutio-  
ne turbatur: Quæ non solum in divinis flagellis necessaria est,  
sed etiam ad proximorum persecutionem, ut in omnibus per-  
severantis fructum afferat in patientia: Quia bonus non fuit,  
qui malos tolerare recusavit. H. p. 93. c. 1.

§. XXXVII

§. XXXVII. Pax Spiritualis.

Pax vera est, quæ nullo furore accenditur, nulla persecutione perturbatur, sed inter adversa hujus seculi inconcussus stat animus Christianus: Quoniam sicut per Prophetam dicitur Ps. 119. pax multa diligentibus legem tuam & non est illis scandalum. H. p. 322. c. 2.

§. XXXVIII. Spes ecclesiæ.

Ecclesia semper inter pressuras tribulationum sublevatur spe præmiorum, illud Apostoli in memoriam, reducens, non condignæ passionis sunt hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelebitur in nobis. H. p. 295. c. 1.

§. XXXIX. Humilitas & Simplicitas Christiana.

Dominus noster Jesus Christus magnum exemplum nobis præbuit humilitatis, nempe verissime dixit: Ego & Pater unum sumus. Si ergo cum Patre unum, æqualis Patri, Deus de Deo, Deus apud Deum coæternus, immortalis, pariter imutabilis, pariter sine tempore, pariter creator & dispensator temporum; tamen quia venit in tempore & formam servi accepit & habitu inventus est ut homo, quærit gloriam Patris, non suam. Quid tu homo facere debes, qui quando aliquid boni facis gloriam tuam quæris, quando autem aliquid mali facis, Deo calumniam meditaris? Intende tibi, Creatura es, agnosce creatorem: servus es, ne contempnas Dominum, adoptatus sed *non meritis suis*; Quære gloriam ejus, a quo habes hanc gratiam, homo adoptatus, cujus gloriam quæsit, qui est ab illo unicus natus. H. p. 169. c. 2.

Christus nos instruit, quos frequenter inanis gloria tentat, ostendens etiam in bono opere jactantiam esse fugiendam. Si enim ille, qui ut filius Dei jactantiam non timebat, miraculum suum Matth. 8. occultare præcepit, multo magis nos, quos vana gloria subrepat, jactantiam cavere debemus. H. p. 74. col. 2. conf. §. 187. c. 1. p. 291. c. 2.

§. XL. Corpus Christi mysticum.

Spiritus facit viva membra. Nec viva membra Spiritus facit, nisi quæ in corpore, quod vegetat, ipse spiritus invenit. Nam Spiritus qui est in te, o homo, quo constas, ut homo sis, numquid vivificat membrum, quod separatum invenerit a carne tua? Spiritum tuum dico animam tuam. Anima tua non vivificat nisi membra, quæ

E

fun

sunt in carne tua; Unum si tollis, jam ex anima tua non vivificatur, quia unitati corporis tui non copulatur. Hæc dicuntur, ut amemus *unitatem* & timeamus *separationem*. Nihil enim sic debet, formidare Christiano, quàm separationem a Corpore Christi. si enim separatur a corpore Christi, non est membrum ejus. Hom. p. 199. c. 1.

§. XLI. Correptio fraterna.

Si viderimus fratrem, qui ad Domum Dei pertinet, superbia tumidum, si detractationibus assuetum, si ebrietati servientem, si luxuria enervatum, si iracundia turbidum, si alii cuiquam vitio substratum: studeamus, in quantum facultas suppetit, castigare, polluta ac perversa corrigere, & si quid de talibus emendare nequimus, non sine acerrima mente sustinere dolorem. H. p. 167. c. 1.

Spirituales viri, si quando vident alios peccare & a via rectitudinis deviare, contristantur de illorum miseria, & condolent de aliis, *utpote de se* Comm. Eph. 4.

Grave *curiositatis* est vitium, qui, dum alienas actiones dijudicat, semet ipsum obliviscitur. H. p. 348. c. 2.

Qui alterius minima peccata vult corrigere, necesse est, ut primum sua corrigat & emendet, nequando dicat illi Deus Ps. 50. *Quare tu assumis?* &c. H. p. 358. c. 2.

In Correptione fraterna hæc *discretionis* regula est tenenda, ut scilicet manifesta & aperta mala vitentur & reprehendantur: Eavero, quæ *quo animo* fiant a proximis, ignorantur, non sunt judicanda, sed potius extra increpationem accipienda. Sunt enim quædam opera, quæ & bono & malo animo fieri possunt. de talibus periculosum est judicare, maxime ne condemnemur. Sicuti v. g. vides aliquem non frequenter jejunantem, noli multum laudare, neque multum detestari. quia potest fieri, ut propter infirmitatem stomachi jejunare non possit, aut propter appetitum gulæ jejunare non velit. H. p. 357. c. 1.

Non solum alios temere judicare non debemus, sed *etiam his, qui nos injuste judicant*, ex corde remittere. H. ib. c. 2.

§. XLII. De Conversatione non fucata.

Nos B. O. facientes, in sanctis conversationibus nostris tales nos ostendere debemus, ut in nobis glorificetur Deus. H. p. 98. c. 1.

Quicumq; filii veritatis sunt, debent deponere & abjicere omne mendacium, *dolositatem & duplicitatem*, & loqui veritatem de animo

mo puro cum omni homine, non solum Christiano, *verum etiam Pagano & Heretico*, quia omnes sunt proximi nostri. Comm. Eph. 4.

§. XLIII. De Hypocrisi.

Qui aliud tenet in corde, & aliud agit in opere, Hypocrita est, sicut scribæ & Pharisei, qui cum haberent lætitiã in mente de vana gloria, *tristitiã* tamen præferebant *in vultu*. H. p. 99. c. 1.

Cum omnis homo pessimus sit, qui vitiis servit, ille tamen pessimus pessimorum est, qui, cum omnibus vitiis servit, *virtutes* tamen habere se simulat. H. ib.

Sunt nonnulli, qui cum servi sint vitiorum, ut appareant hominibus justi, aliena peccata acriter corripunt, de qualibus Scriptura dicit: *est correptio mendax in ore contumeliosæ*. H. p. 359. c. 1.

Multi semper ac malevoli bonorum hominum facta detrectant, & ad *malam famam* conantur evertere, metuentes, ne mala eorum delectatio & usus pessimus, in quo morantur, ut pereant, *bonorum aliorum factis* destruat & publicetur. Sed nos hoc audientes oportet multo instantius perseverare in B. O. ut etiam *alii meliores* salventur, & inexcusabiles fiant, si converti noluerint a malitia sua. H. p. 291. c. 2.

Non est peccatum justa opera *coram hominibus* facere, sed peccatum est, *ideo* justa opera facere coram hominibus, ut laus ab eis quæratur. H. p. 102. c. 2.

§. XLIV. De Scandalo.

Christus pulchre ait: *in hac nocte scandalum in me patiemini*, quia sicut, qui inebriantur, nocte inebriantur, ita, qui scandalum patiuntur, in nocte, h. e. in tenebris incredulitatis & ignorantiaë patiuntur. H. p. 207. c. 2.

Quamvis irascerentur Judæi, quamvis indignarentur, quamvis fremerent; Veritas semper tamen dicebat veritatẽ, ostendens nobis, quia quotiescunque pro veritate scandalum nascitur, melius est, ut scandalum sustineatur, quam veritas relinquatur. H. p. 189. c. 1.

§. XLV. De Perseverantia in bono.

*Inchoantibus* præmiũ promittitur, sed *perseverantibus datur*, per eum, qui promisit, qui est verus promissor & largitor D. N. J. C. H. p. 287. c. 2.

§. XLVI. De Ministerio Ecclesiastico.

Quamvis melior sit sancta simplicitas, quam docta malitia, tamen ministro Ecclesiæ *utrumq;* convenit, ut & sanctus sit vita propter e-

xemplum, & doctus lingua propter eruditionē *aliorum*. H. p. 164. c. 2.

Tunc in speluncam latronum convertitur templum Domini, quando quilibet ex sacro ministerio lucrum temporale acquirere desiderat. H. p. 115. c. 2.

Sæpe qui per avaritiam ad sacerdotiū accedit, per injustitiā ver-  
fatur in eo, ut sceleratū *inītiū* funesto *sine* consummetur. H. p. 246. c. 1.

Si causam quæris, quare mercenarius fugiat, nullam invenies vi-  
ciniorem, nisi *quia mercenarius est*. Qui enim non *amore divino*, sed  
dilectione *cupiditatis & potestatis* gregem Domini pascit, mox, ut  
*timor hæc amittendi*, accesserit, ille recedit, & si non corpore, tamen  
*mente*, quia juxta Psalmistæ vocem: *Illic trepidat timore, ubi non erat*  
*timor* Ps. 14. Sunt autem nonnulli rectores, qui quamvis bene do-  
ceant, tamen quia male vivunt, magis inter mercenarios quam  
inter pastores computantur: Quoniam quos bene docendo eru-  
diunt, hos male vivendi exemplo destruunt. De quibus per Pro-  
phetam dicitur Ez. 34. v. 18. H. p. 290. c. 1.

Multi Præfules Ecclesiarum, timentes, *ne amicitiam perdant, & mo-  
lestiam odiorum* incurrant, peccatores non arguunt, & corripere  
pauperum oppressores verentur, nec pertimescunt de severitate,  
reddendæ rationis, pro eo, quod conticescant de plebibus sibi com-  
missis, quando a potentibus pauperes opprimuntur. H. p. 300. c. 2.

Tunc Prædicator ministerium suum *honorificat*; quando secun-  
dum illud, quod prædicat, vivere studet: Ut quod prædicat ore, ho-  
noret & confirmet homo exemplo bonisq; opeibus. Com. Rom. II.

Hæc est *discretio* in prædicatione observanda, ut quos viderit Do-  
ctor spirituales intelligentiam *capere non posse*, juxta literam do-  
ceat, *nec propter eos tamen perfectiores relinquat*. H. p. 161. c. 1.

§. XLVII. De fundamento Ecclesiæ.

Quando Christus Matth. 16. ait *Super hanc Petram ædificabo Ec-  
clesiam meam*, tale est, ac si diceret: *Super hanc fidem*, id est, *super*  
*me, quem tu confessus es*, ædificabo Ecclesiam meam, *fundamentum e-*  
*nim aliud*, ait Apostolus, *nemo potest ponere, præter id, quod positum est*,  
quod est J. C. H. p. 440. c. 1.

§. XLVIII. De Ecclesia seu Domo Dei.

Qui vult mysterium Dei cognoscere, *domum* cum Jesu intret, i. e.  
fidelis factus *unitatem* Ecclesiæ teneat, quia *ipse facit unanimes habi-*  
*tare in Domo*. Ceterum illi, qui *fortis* sunt, i. e. Pagani, Judæi, Hæ-  
reti-

retici, omnem scripturam in Parabolis audiunt, quia ejus Myfterium capere non possunt. H. p. 90. c. 1.

*Domestici (fidei)* dicuntur a *domo*, qui in una domo nutriuntur, & conversantur. ad omnes quidem bonum debemus operari, h. e. ad hæreticos, ad paganos; sed maxime ad illos, qui in una domo i. e. in unitate ecclesiæ nobiscum sunt, & qui eandem fidem habent, & præcipue ad illos, qui viam rectitudinis nobis ostendunt verbo & exemplo. Comm. ad Gal. VI, 10.

*cujus loci (de Veris domesticis fidei Glaubensgenossen) usum in polemicis (et si sub nomine Remigii) vide in notis Præsidis ad Concilium Trid. p. 109. 85.*

Ecclesia est munita virtutibus, ampla charitate, collecta per fidem ad juste vivendum: Non civitas Babyloniorum & confusorum hæreticorum; sed Dei nostri. Comm. Ps. 47. conf. Comm. Gal. 4.

§. XLIX. De Clavibus Ecclesiæ.

Non putandum est, quod solum B. Petro Potestas clavium data sit, sed sicut unus pro omnibus respondit: Tu es Christus. (Matth. 16.) ita in uno omnes audierunt: quodcumque ligaveritis super terra &c. Unde cum post resurrectionem Dominus discipulis suis Spiritum sanctum dedisset, omnibus generaliter ait: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. H. p. 440. c. 2.

*Miretur forte quis, Dreierum qui in aliis materiis Haymonem sæpiusculè adhibuit, disp. 9. de Primatu Petri testimonium hoc non allegasse, nisi quod p. 239. ex equali Rabano adduxit.*

Sicut Clavis ad hoc in ostium ponitur, ut amici recipiantur, extranei autem excludantur; Sic ligandi atque solvendi potestas justos recipit, injustos vero excludit. H. ib.

§. L. De Baptismo & Regeneratione.

Per baptismum a peccatorum sordibus purificamur, & quicquid ad vetustatem veteris hominis pertinet, respuentes, induimus novum, implentes illud, quod ait Apostolus Col. 3. Exuite veterem hominem &c. H. p. 47. c. 2.

Sicut in humana nativitate paterni vultus similitudinem frequenter in filiorum facie conspicimus, ita, si filii Dei esse volumus, cœlestem patrem in terris imitari debemus. H. p. 356. c. 1.

Pro omnibus effusus est Christi Sanguis, sed non omnibus prodest, sed illis solummodo, qui credunt in passionem suam, & illis, qui eodem spiritu regenerantur, quo Christus in Utero Mariæ est conceptus. H. p. 207. c. 1. (forte ex Leonis epist. 10.)

Parvuli per fidem Parentum, vel eorum, à quibus suscipiuntur,

in sacro baptisate salvari creduntur; *ita tamen*, ut cum ad intelligibilem ætatem pervenerint, non solum *doceantur*, quid in corde debeant credere, sed etiam quid in opere *servare*. (Matth. 28, 20. 19.)  
H. p. 278. c. 2. & p. 313. c. 2.

(Eatenus tantum locum damus, quatenus textus hic videtur removere Belle Gulga-rem opinionem operis operati, quæ latibulum Pædobaptismo quaerere solet. expendi vero petimus ea, quæ de Pædobaptismo ipso scripsit Lutherus catech. maj.)

§. LI. De Cœna Domini.

Hoc est manducare illam escam, & illum potum bibere, in Christo manere & illum *manentem in se* bibere, & per hoc; qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio non manducat spiritualiter ejus carnem, licet *carnaliter & visibiliter* premandentibus Sacramentum Corporis & Sangvinis Christi H. p. 198. c. 1. conf. Comm. 1. Cor. II

Nos quoque pro modulo nostro in fractione panis Dominum cognoscimus, si mundo corde & casto corpore *mysterium corporis & sanguinis ejus* cum digna reverentia sumimus. H. p. 266. c. 2.

Sicut Christus communicavit nostræ substantiæ, per assumptionem hominis; sic & nos participes ejus sumus per assumptionem corporis & sanguinis ejus. Comm. Heb. 2. conf. Chemnit. Exam. G. T. de commun. sub utraque secundum Haymonem nostrum.

§. LII. De Sabbato Spirituali.

Sabbatum spirituale est, in luce gratiæ spiritualis, quæ septiformis accipitur, *non una, sed omni die* nos ab inquietudine vitiorum manere feriatis. H. p. 121. c. 2.

§. LIII. De Antichristo.

*Alius veniet in nomine suo (Joh. 5.) hunc suscipietis*) Significat eos Antichristum suscepturos, qui gloriam nominis sui quæsiturus est, inflatus, non solidus, sed utique instabilis, utique ruinofus. conf. 2. Theff. 2. *Extollens se super omne &c.* H. p. 169. c. 2.

In Antichristo injustitia est, & verax non est, non est, a quo missus est, non enim est missus, sed venire permissus. Omnes ergo pertinentes ad corpus Christi, ne inducamur in laqueos Antichristi, non quæramus gloriam nostram, sed si ille quæsit gloriam ejus, qui eum misit; quanto magis nos ejus, qui nos fecit. ib. Conf. Wolfii Memorab. Cent. 4. fol. 95.

§. XIV.



§. LIV. De Judæorum Conversione.

Poterat aliquis dicere: Quare non crediderunt Judæi in primo Domini adventu? ad hæc Apostolus, *ut gentes, inquit, misericordiam consequerentur, & ipsi postmodum in fine seculi consequantur.* Si enim in primo Domini adventu credidissent, ex legis operibus se justificatos putarent, in fine vero seculi, cum crediderint, *miseri- cordiam* consecutos esse, non dubitabunt. Ut clarior fieret Dei *gratia* qua dimittuntur peccata, his ita conclusis, placuit ei, tunc abolen- dis *peccatis* hominum Sacramentum remissionis asserere, quando nemo poterat de suis *meritis* gloriari. Increduli siquidem fuerunt gentiles, sed misericordiam Dei, ab eo vocati, consecuti sunt. Sunt modo & Judæi increduli, sed miserebitur eorum Deus. Sicut Gen- tiles in *primo* Domini adventu misericordiam Dei consecuti sunt; i- ta & Judæi eam consequentur appropinquante *secundo* adventu. Commentario ad Rom. ii. O gentilis, si vides aliquos Judæorum a gratia Christi alienos existere, & a fide Patriarcharum: & te in lo- cum illorum esse, sociumque factum fidei Patrum & gratiæ Chri- sti atque Sp. S; noli despiciere illos, neque extollaris, ne forte amit- tas gratiam, quæ tibi gratis data est. Quis hoc *mysterium* valeat pe- netrare, cur Deus multitudinem gentium spreverit pene ab exor- dio mundi, a tempore sc. quo *confusum* est labium universæ terræ; & Judæos sibi tantum peculiare fecerit, qui per lineam Eber de- scenderunt, iterumque gentes in suo adventu elegerit, & Judæos *in finem mundi* recipiendos abjecerit? quis, inquam, tam subtilem *di- spositionem* divinam investigare sufficiet? ib. conf. Homil. p. 140. c. 2. & Ven. Speneripia desideria p. 356. ubi Haymo testibus hujus promissionis annumeratur.

§. LV. Status post mortem.

Corpus, dum deseritur ab anima, dormit in sepulchro usq; ad resurrectionem *in no- bisimo die.* Animæ vero, cum deserunt corpora, diversas receptiones habent, gaudium bonæ, malæ tormenta. Sed cum facta fuerit Resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur. H. p. 179. c. 1.

§. LVI. Duplex Christi Adventus.

Duos Adventus D. N. J. C. legimus in Scripturis a Prophetis esse prædictos, unum *mi- sericordie*, qui peractus est, alterum *judicii*, qui venturus est. Prima ergo *dispensatio* D. N. J. C. medicinalis est, non judicialis. Nam si primo venisset judicaturus: neminem invenisset, cui præmia justitiæ redderet. quia ergo vidit omnes peccatores, & omnino esse

de  
urg



esse neminem immunem à morte peccati, prius erat ejus misericordia preroganda, & post exercendum judicium. H. p. 182. c. 2.

§. LVII. De Justitia Dei Distributiva.

Æquissimus Judex Deus sicut malum nullum impunitum *dimittit*: sic nullum bonum absque mercede relinquit, quia aut in presenti, aut in futuro retribuit. Quoties ergo aut prosperitas presentis vitæ nobis blanditur, aut divitiæ affluunt, timendum est, ne de bono, quod agimus, mercedem in presenti sæculo recipiamus, ne fortè in futuro nobis dicatur: *Amen dico vobis, recepistis mercedem vestram*. Quotiescunque autem aut paupertas nos adfligit, aut flagella nos atterunt, gaudendum est & gratulandum: Quia flagella Dei aut ad remunerationem nobis contingunt, aut ad probationem. Propter quod nos Scriptura admonet, dicens; Hebr. 11. *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini &c.* H. p. 344. c. 2.

Non æqualis pœna debetur ei, qui parum peccavit, & ei qui multum, quia sicut sub uno radio solis non omnes æqualiter urimur, ita reprobi in gehennali pœna non omnes æqualiter cruciantur. Habet enim hoc subtilitas judiciorum Dei, ut per quod membrum amplius peccat quis, in eo majorem vindictam recipiat. cum enim dives iste *splendide* epulatus fuisse dicitur, & nunc in lingua cruciari perhibetur, ostenditur, quod præ ceteris membris in lingua arderet. in *conviviis* enim superflua & inanis loquacitas abundare solet, quoniam, ubi venter diversis cibis & potibus distentus fuerit, statim lingua ad cachinnos, joca, maledictiones, detractiones & cetera his similia resolvitur. sicut scriptum est: Ex. 32. *Sedit populus manducare & bibere & surrexerunt ludere*; & quia in conviviis in lingua peccaverat, in tormentis in lingua ardebat. Quoniam sicut ait Salomon Sap. 11. *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*. H. p. 343. c. 2.

Tà *exara* hæc sunt, B. L. quibus Haymonis doctrinam nunc jam finimus, utique formidabilia; verum illis duntaxat, qui suæ depravatæ naturæ indulgent, nec viæ salutis, Haymonis consiliis hic patefactæ, constanter insistant. Sunt aliquando in illis formulæ, quæ prima fronte parum tutæ videri possint, quæ ipsæ tamen, si æquum nacti fuerint censorem, tantum forte non habebunt incommodi; & merito quidem talem se quisque exhibebit, nisi ex omnibus Patribus uni Haymoni, quod humani aliquid passus fuerit, nostræ ipsorum fragilitatis obliti, succensere velimus. Ipsi Centuriatores Magd. qui nonnullos Haymonis nexos cent. IX. f. 323. collegerunt, hos quidem ipsius sæculo adjudicant, nec quicquam propterea Haymonis laudi detrahunt. Ceterum non est dubium, quin utrumque studium *biblicum* pariter atque *historico-ecclesiasticum* Haymonem pium reddiderit ac sapientem; hisce enim studiis operam dedisse Haymonem ex facta recensione scriptorum ejus adparet. Qui præter hæc nostra uberiores adhuc doctrinæ illius apparatus exoptat, cum rariora sint ipsa ejus scripta, adeat Cent. Magd. ubi cent. IX. totum ferme cap. 4, sæculi noni doctrinam referens, ex Haymonis commentariis conscriptum inveniet. Deo insuper gratias persolvimus immortales, quod nostras preces habuit ratas, nostrisque conatibus adfuit; benedicat porro Dominus huic labori, quo omnes & singuli, qui hanc Haymonis doctrinam lecturi sunt, magnum inde pietatis & doctrinæ capiant incrementum!



No 1499 BK

von



Q. 140<sup>a</sup>

II, 887

2

EXERCITIA  
VITA

OLOGICA,  
RINA

H  
EPISCO

NSIS.

RECTO  
SERENIS

SIMO

DN. FRI  
ELECTORAT  
BUR

OMINO

ELMO,  
BRANDEN-  
&c.

*In Acad*

*ectorali*

PAU  
S.S. THEOL.

IO,  
ST. DUCAT.

WILH  
Lange

Frnds /  
. Stud.

Lite

gr.

